NATALEM
FRIDERICI VI
AUGUSTISSIMI ET CLEMENTISSIMI REGIS
OPTIMI PRINCIPIS
ALBUM ET LAETABILEM

SOLEMNI ORATIONE
IN AUDITORIO MAIORI

HABENDA

DIE XXVIII IANUAR. MDCCCXXI

PUBLICE CELEBRANDUM

MANDATO RECTORIS ET SENATUS
ACADEMIAE KILIENSIS

OBSERVANTISSIME INDICIT

W. WACHSMUTH,
[illegible]

Insunt animadversiones in C. Cornelii Taciti historiam expeditionum Germanici in Germaniam.

KILIAE
TYPIS CHRIST. FRID. MOHR.

21.

Inter majorum fortia facta jucundissima est memoria rerum gestarum, quibus, Romanorum jugo excusso, libertatem luctando cum florentissimi Romani imperii mole constantia summa defenderunt. Jam non ii sumus, qui nonnullorum inter nostrates, vi quidem, at non astu insidiisque contra hostem patriae utendum esse opinantium, vel Romanorum exemplo *) putemus, Germanos Varo ejusque legionibus deletis flagitium commisisse: attamen immodicis, quibus clades illa extollitur laudibus a plerisque, siquidem in ea enarranda, ornanda, celebranda praecipuum collocari solet studium, non subscribentes monemus eos, qui patriae decus in libertatis vindicta et armis commendant, ut illa primordia laudis bellicae, quibus Germania regeneranda esset, antequam bello justo inclaresceret, ne praejudicio verae, quae insecuta est, virtutis velint illustrare. Ideo autem bellum cum Germanico gestum magis est gloria augendum, quam insidiae Varo structae, quod in illo utrimque in certamen virtutis aequum descensum est, Germanique constantia demum fortiter propugnandi pro patria, quam astu restituerant, quum, qui insidiis tres legiones fatuo et incauto duce delevissent, iidem numerosissimum exercitum nobilissimumque et acerrimum ducem propulsarent,

*) Utrumque, videlicet Romanum sermonem in ore Germani, junctum vides in Marabodui oratione, Tacit. Ann. 2, 46. — quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit (sc. Arminius.).

illud sibi conciliaverunt decus, quod admiramur; ubi utrique inter sese digni sunt, qui vincant, aut quibus glorientur devictis. At enim, quae est animi nostri propensio, quorum virtus eminet, quique vulgo sunt praestantiores, eorum egregias artes et fortunam lubentius contemplandi intimoque sensu prosequendi, quam innumerorum capite censorum conamina quantavis, in quibus, quid singuli valeant, et ad qualem praestantiam humana possit adsurgere natura, haud aestimaveris: mirifice illam delectat in hoc bello singulare virtutis certamen inter excelsos utriusque partis duces, Arminium et Germanicum. Quippe a Romanorum partibus juvenis strenuus, magnanimus, laudis imperatoriae cupidissimus, patris desideratissimi illustris progenies, cujus generosa indoles clarius fulgeat penes Tiberii atrox ingenium, quod quidem illo vivente, virtutis quadam verecundia, haud ausum sit prorumpere; qui tanquam maligno fato ad eam gloriam evectus esset, qua dignissimum sese, quo principe gauderet orbis terrarum, manifestaret, immaturo vero et acerbo funere abreptus, quo degener Scipionum et Catonum popellus admoneretur, se omni vitiorum genere corruptos, non esse dignos, quibus imperaret princeps ipsis tantum praestans, cognosceretur que, breves et infaustos Romanorum id aetatis esse amores *). Contra noster Arminius, rei bellicae artiumque Romanarum peritus, nobilissimo inter populares genere, sed cui major inesset auctoritas, quod manu fortis, consilii promptus et inexhaustus, quibusvis singulis antecellens, universos ad se imitandum excitaret; concordiae

*) Tac. A. 2, 41.

gentium Germanicarum conciliandae habilissimus auctor, odii contra Romanos alendi, augendi et inflammandi indefessus, et, praeter publicam causam, ob raptam a Germanico uxorem, socerumque proditorem propriis stimulis incitatus *).

Quae eo diligentius studium advertunt nostrum, quo gravior et nervosior nobis ea tradiderit scriptor, C. Cornelius Tacitus, quo neminem inter Latinos rerum gestarum auctores invenias, qui summum fortitudinis decus humanum illustret, potiorem, cujus autem est ita comparatum genus scribendi, ut non sine molestia ad dulcem ejus eximia virtute gaudendi fructum pervenias. Nam, ut cetera, quibus interpretes laborant, omittam: res cogitationesque medias fere negligere consuevit, primarum, ut ajunt, linearum, quas ducat, nec intervalla complere curans, nec ipsas conjungere studens, ut, quantumvis longe stilus ejus distet a rudi et inculto, aggestarum tamen potius, quam digestarum cogitationum seriem scabram expromat, divinantique lectorum ingenio multa reliquerit addenda. Accedit quod in rebus historicis et geographicis, ubi vel jejuna et minutissima, si modo ad veritatem cognoscendam pertinent, haud asperneris, saepe non solum, indulgens animi poeticae indoli, flores effuderit, inter quos diligentem et definitam rerum desideres descriptionem, cujus singula premere queas verba, sed pruritu quodam, novo scribendi genere utendi, inusitata, a probata dicendi ratione aberrantia, et propter verborum audaciam obscura pulcherrimis intermiscuerit. Jam vero Taciti descriptiones,

*) Vellej. Paterc. 2, 118.

praesertim locorum, spatiorum dimensiones, itinerum definitio non minus ob illam ingenii singularem naturam perspicuitate carere videntur, quam quod in mediis rebus, quas enarravit, non erat versatus, neque locorum situm perspectum habebat. Quantum autem in his talibusque intersit, utrum auctor tradat, quae ipse oculis agendoque cognoverit, an ex aliis, qui forsitan ne ipsi quidem rebus gestis interfuerint locave viserint, pendeat; id exemplo Livii Polybiique dijudicari potest.

Quae cum ita sint, ut, quas commemoravimus, earum rerum gestarum memoriam replicare sit jucundissimum, egeat autem ipsarum auctor illustratione multiplici, animadversiones nostras qualescunque bona cum venia et animo benevolo ut judicent lecturi vehementissime cupimus.

Igitur post cladem Varianam Augustus, cujus animus nullo tempore satis firmus adversus bellorum discrimina fuerat, ulciscendarum legionum, quas deperditas mollissime tulerat, haud studiosus, satisque habens, si feroces nostrae gentes finibus suis coerceri possent tempestasque belli, quod minarentur, a vetere imperio Romano repelli, Tiberium, quo peritior cautiorque nemo dux illa ferebatur aetate, ad tuendos fines Romanos, Germanicis, quae vocabantur, legionibus praefecit. Is ut, aggressuri speciem prae se ferens, Germanos Rhenum transire prohiberet, nonnullarum gentium, quae Rhenum accolebant, fines ingressus, limitibus similibusque munimentis refectis vel novis exstructis, mandatumque, ut ne bellum ultro inferret, illatum modo defenderet, religiosissime executus, recentem Germanorum libertatem haud magnopere turbavit. Ipso,

quo defunctus est, anno Augustus Tiberium a rebus illic gerendis avocavit, Germanicumque in Gallias misit, reliqua *) belli patraturum. Quae si verba, ut, quanam auctoritate Germanicus bellum intulerit nostris, perspiciatur, accurate perpendimus, Augusti mandatum non fuisse, ut Germanicus, quoniam pax nondum esset firmata, eam conficeret Germania denuo subigenda, itaque re in integrum restituenda, nullo negotio ex Augusti moribus efficitur. Ita vero illum esse missum, ut Gallias administraret, in iisque tuendis non solum cum octo legionibus ad laevam Rheni ripam excubias intentissimas ageret, sed, si opus foret, resque ita ferret, bellum in Germanorum fines transmitteret, re ipsa, nimirum praesidis cum imperio conditione, et eo colligitur, quod Augusto defuncto Tiberius, qui ejus instituta religiosissime servaturum se adsimularet, tametsi speciosis argumentis magnanimum juvenem a gloriae via, quam pergere instituerat, secreto revocare studeret, tamen publico inceptis ejus connivebat. Ita hic principis auctoritate et tanquam ex mandato Augusti translaticio bellum movit. Jam vero si non is, qui bellum infert, sed qui prior pacem noluit, auctor belli habendus est, Germanico, salva modestia, cujus observandae studiosissimum se exhibebat, admonitionibus Tiberii, ut bellum deponeret, per aliquod tempus, quominus obtemperaret, bellum illatum defendere simulanti licuit recusare, et ita gloriae studio, ut quam citissime et valentissime Romanorum injurias ultus, vestigiaque Drusi patris secutus esse videretur, memoriaque ejus appellaretur dignisissimus, indulgere.

*) Vellej. Patere. 2, 123.

Ut primum de Augusto mortuo palam factum erat, saeva seditio legiones Germanicas aeque ac Pannonicas incessit. Inferioris exercitus quatuor legiones, quarum castra hiberna ad ostium Luppiae posita erant, jam furebant, dum inferior, ad Moeni caput, ambigit. Germanicus illarum tumultu paullum sedato ad superiorem profectus exercitum, eum haud magno labore ad modestiam reduxit. Qua re narrata Tacitus pergit

I, 39: »At in *Chaucis* coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum" post: »Menius, castrorum praefectus, raptum vexillum ad *ripam* vertit et reduxit in hiberna" etc.

Levius commovemur dubitatione, quonam modo praesidium, ac non stativum quidem, sed ex hibernis eductum eoque reducendum, ad Chaucos, satis longe distantes a Rheno, ad quem legionum erant hibernacula, missum sit? Quod si superesset significatio quaedam de conditione Chaucorum, tunc temporis foedere cum Romanis junctorum, haec dilui forsan facili negotio possent. At vero quomodo his constant Taciti verba? Quaenam est ripa? E re nata Amisiae foret, ultra quam Chauci minores habitabant: at seditiosi, flumen transgressi, statim in hiberna advenisse, et ripa terminus quasi naturalis videtur fuisse tumultus. Propterea ripa Amisiae sano interpreti rejicienda est. Multo magis ripa maris; nam non solum maris et navigationis natura omni tempore ea fuit, ut seditionis igniculos vehementissime aluerit, sed ipsa voce *ripa*, ubi de mari sermo est, multo usitatior, ut apud alios scriptores, sic apud Tacitum est *litus*. Tria sunt, quae arctissime cohaerent: Locus

praesidii et seditio, iter ad ripam seditiosorumque perturbatio, reditus in castra hiberna et quies. Nonne haec de sola Rheni ripa accipienda? Haud temere apud rerum Germanicarum scriptores veteres alius fluminis ripam κατ' ἐξοχὴν dictam reperias; hanc contra saepius *), nullamque aliam hic posse intelligi, satis, opinor, apparet. Deinde de vexillariis superioris exercitus hic esse sermonem, ex eo constat, quod Tacitus, posteaquam superioris exercitus modo facta est mentio, de eorum seditione narrat. Quominus id ita accipiamus, non vetat epitheton *discordium*; nam si objicias, superioris exercitus tumultum tunc jam fuisse sedatum, neque hujus legiones appellari potuisse discordes, dubitationem tolli puto cogitatione, quod illo tempore inferior quoque exercitus, quantumvis contumax, tamen non tumultuabatur, nec itaque magis discors quam inferior, neve solus ita significandus erat, quod igitur epitheton hoc utrumque spectat exercitum. Si haec me non fallunt, indeque probatur, Rheni tantum ripam, superiorisque exercitus vexillarios esse intelligendos, unde sanequam haud commode in Chaucos mitti potuissent praesidia, genuina scriptoris manus fuit: At in *Chattis*. Ita de loco praesidii, de ripa, de rédituque in castra hiberna omnia sunt expedita. De scriptura moneo, in unico, qui exstat, libro scripto

*) Ita nomine fluminis nec ipsi voci adjecto, nec in proxime praecedentibus sequentibusve expresso, *ripam* legis 1, 57: Gallicam in *ripam*; 1, 59: *Ripam* victam coleret, 13, 54: Frisii juventatem saltibus aut paludibus, imbellem aetatem per lacus admovere *ripae*.

constanter *ch* hujus vocis similiumque initio *) scriptum legi, rationemque literarum hoc modo a voce *Chaucis* haud multum discrepare. Porro in *Chattis* est in finibus Chattorum, quorum sedes illo quidem tempore non jam ad extremum pagum Rhenanum, medio aevo sic vocatum, supra Moeni caput protendebatur, utpote qui, ex quo Drusus illam regionem infestaverat, posteaque munimenta in Tauno monte exstruxerat, in terras recessissent interiores; attamen loca vocata Chattorum nomine appellata esse nemini dubium esse potest. Ibi igitur Romana praesidia excubias longius remotas agentia; ibi, ut inferius ad castra vetera **), Rhenus ponte junctus, super quem itus et reditus praesidiorum, alteriusque Germanici expeditionis iter.

1, 50: »At Romanus agmine propero *silvam Caesiam*, limitemque a Tiberio coeptum scindit, castra in limite locat, frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munit. Inde *saltus obscuros* permeat, consultatque, ex duobus itineribus breve et solitum sequatur, an impeditius et intentatum, eoque hostibus incautum. — Caecina cum expeditis cohortibus praeire et *obstantia silvarum* amoliri jubetur" etc.

Silvam Caesiam scindit, inde *saltus* obscuros permeat, postea Caecina obstantia *silvarum* amolitur? Quot fuere silvae? Tres? Minime vero; potius una tantum Caesia; nam Marsi haud procul aberant, et sola Caesia silva disjuncti a Romano limite fuisse videntur. Sic vero impeditus est cogitationum nexus. Silva Caesia scissa

---

*) 2, 11: Chariovalda dux Batavorum.

**) 1, 69.

prius saltus obscuros *permeat*, tunc demum consultat, tandem obstantia silvarum expediuntur; *permeat* iter ad finem perductum; quae autem sequuntur — *consultat*, *Caecina jubetur* — initium vel praeparationem itineris significant. Nisi forte *permeat* ita accipis, ut actionem durantem exprimat, *permeando* Germanicum consultasse, aut potius ὕστερον πρότερον — consultat — Caecina jubetur — permeat. Omnia vana; justamque verborum potestatem vix sine emendatione aliqua extricaveris. Vide igitur, an tibi placeat mutare *permeat* in *penetrat* *). Ita Germanicus in primis saltibus obscuris, quo penetraverat, ad bivium quoddam consultat Caecinaeque dat mandatum etc. Et haec omnia in una eademque silva Caesia.

1, 59: »Arminium super insitam violentiam" etc.

Tacitus orationes immiscens narrationi totus pendet e more veterum, qui quidem non religiosa fide quae dicta sint, sed quae dicta esse vel dici potuisse verisimile sit, pro genuina oratione, itemque codicillos literasque non iisdem verbis, sed quam in formam fuerint concepta, ejus summam tradiderit **). Hoc fere modo Armi-

*) Inverso apud Vellejum ordine legis 2, 120: Penetrat interius, aperit limites.

**) Nec ipse rationem suam in his tradendis dissimulat; cf. haec taliaque 2, 38. 14, 49. 15, 63. verba ejus in hunc modum fuere 1, 58. ad hunc modum 2, 37. 71. 3, 49. 52. 4, 34. 6, 8. 14, 43. his ferme verbis usus est 2, 38. hujuscemodi orationem habuit 4, 37. Nero sic ferme respondit 14, 55. codicillos — in hunc ferme modum compositos 3, 16. literas misit, quarum summa erat 14, 11. literas in eandem formam 15, 24. etc. Aliter agitur de apophthegmatis, similibusque brevius dictis, quae plerumque immutata accepisse reddidisseque videtur v. c. 15, 67. id quod in reliquos etiam vett. scr. cadit.

nius, posteaquam Germanicus altera expeditione facta Segesten obsidione liberaverat, populares alloquitur. Inter cujus verba legimus: »Coleret (Segestes) victam ripam, redderet filio sacerdotium: hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint". — *Hominem* nullo modo ferri potest. Quam medelam superiores nonnulli interpretes adhibendi periculum fecerunt, ea totum locum reddit languidum; audaciori opus est emendatione. Talem Wolfius Ill. proposuit, *hominem* in *Romanum* mutando, et post *Romanum* interpungendo: »redderet filio sacerdotium Romanum". At cum locus ita se habeat, ut reliqua, excepta voce illa, plana et perspicua sint, nec emendatio hic, tanquam aenigmatis cujusdam solutio, detur unice vera, quae quam diu desideretur, omnia cetera luce careant, cum vox illa, cuicuimodi fuerit, cogitationem secundariam et adventitiam, quae multae ibi esse potuerunt, complexa sit, itaque id tantum laboremus, ut ex accessionibus, quae admitti possunt, commodissimam ideoque verisimillimam illi manifesto corruptae substituamus: non mihi quidem sumo, ut viri summi optimeque de me meriti, cujus pace haec dixerim, conjecturam improbem, verumtamen ob naturam corruptelae, cui multiplex adhiberi potest cura, verecunde penes illam optaverim meam qualemcunque collocari. Igitur ex antiquae scripturae vestigiis elicio *ignominiam*, cujus vocis sequentia »quod viderint" exhibent explicationem vel paraphrasin. »Licet Segestes committat flagitium, servile jugum denuo sibi imponens, at Germanos nunquam ignominiam illam, quod viderint etc. satis excusaturos, nunquam labem illam eluturos". His junge

1, 58: Segesti obsidione liberato Germanicus pollicetur sedem *veterem* in provincia.

Superiori tempore sedem, ad quam nunc reduceretur, Segestes extra patrium solum haud habuerat; nam quod Segimundus filius ante cladem Varianam ibi fuerat sacerdos *), ad Segesten patrem non pertinet, Lipsius igitur facili et felici conjectura *veterem* in *vetere* mutavit, veteremque provinciam fuisse Gallias interpretatus est. Id autem non satisfecit insequentium nonnullis editorum, ac Bipontinus quidem, qui in Tacito emendando saepius, ubi in ora ipsa, quod quaeris, situm est, in altum conjecturarum mare solet evehi, nec raro ibi inter brevia et vada misere haeret, hic meras profert nugas. At vero Lipsii emendationi toto ex animo adstipulandum est. *Vetere in provincia* de Galliis dictum esse ne mireris; Germanicus animo redegerat patriam nostram in provinciam *novam*, qualis fere ante Varum deletum fuerat, ideoque Galliae *vetus* provincia. Quam ad cogitationem Germanici pertinent Arminii verba **): Si patriam, parentes, antiqua mallent, quam dominos et *colonias novas*". Si autem quaeris, quaenam sedes illa fuerit vetere in provincia: en Tacitus ipse tibi eam significat. Nempe Segimerus, Segestis frater, ut hic initio, sic ille alterius Germanici expeditionis fine in deditionem Romanam acceptus, a Stertinio in civitatem Ubiorum perducitur ***). Vix igitur dubium esse potest, ibi Segesten fratrem jam adfuisse.

In historia reditionis exercitus Romani ****), quae non minus nos commovet ob discrimina maris, Romanis omni fere tempore

*) 1, 57. **) 1, 59. ***) 1, 71. ****) 1, 63-71.

infesti, quibus tum Germanicus cum quatuor legionibus laborabat, quam angustiis Caecinae, qui itinere pedestri revertens, nisi Arminii consilium ferocia popularium irritum reddidisset, haud poterat exitum Vari effugere, nonnulla sunt quae difficultates exhibeant, leves quidem, sed in quibus paullum si commoramur solvendis, haud alienum videtur. Germanicus partem equitatus *litore Oceani* petere Rhenum jubet*). At infra**) nonnisi Vitellii duas legiones in aestuariis laborasse narratum, nec equitatus mentio facta est. Intelligendum est, equitatum iter fecisse non ad ipsum Oceani extremumque litus, sed per fines Frisiorum; nempe per quos Amisiam petere jussus erat***), per eosdem nunc rediit. Neque hic variandi formas dicendi, ubi eadem cogitatio pluries significanda est, Taciti studium, in minutis quoque conspicuum ****), agnoscere nolis. Deinde, quo tempore Germanicus advenit in Gallias, Stertinius *praemisssus* Segimerum

---

*) 1, 63. **) 1, 70. ***) 1, 60.

****) Hac in re, quae ad Taciti interpretationem, si quae alia, pertinet adjuvandam, animadvertas in primis mutationem temporum, quorum rationem ad Ciceronianam exigere propensus Ernesti frequenter praeproperis emendationibus indulsit. Vid. ejus notam ad 2, 7. ibique Wolfium. Ex innumeris minutorum ejusmodi exemplis pauca hic adscribere liceat: Ira — per metum 4, 46. cf. 2, 70. 6, 45. in audaciam — ad formidinem 4, 51. per Asiam — in Italia 4, 55. subsidio vigilis et terrorem 12, 29. 52. vim cultoribus ac plerumque in mercatores 12, 55. Ubi quati uterus et viscera vibrantur 13, 57. cf. 15, 27. H. 3, 31. — anxia Agrippina, quod nemo a filio — aliam fere litore faciem nunc (sc. esse). — Quantumvis perfunctorie talia quaeras, messis uberrima frugis multiplicis tibi non deerit.

in civitatem Ubiorum jam *perduxerat* *). Unde praemissus? Licet accipere, eum una cum Germanico vectum navibus ad fossam usque Drusianam indeque praemissum esse, ut *jam* referatur ad temporis punctum, quo Germanicus a finibus Frisiorum itinere facto civitatem Ubiorum advenit. Aliam tamen explicandi rationem offert iter illud equitatus, litore Oceani Rhenum petere jussi, qui primum Pedone, rediens, ut videtur, Stertinio duce ad Rhenum ocius pervenire Segimerumque laborantem in Gallias transmittere potuerat. Utrum tibi magis arrideat, elige. Denique forsitan quaesiverit quispiam, cur Caecina, qui Amisiam petens haud difficulter Bructerorum fines permeaverat, per *pontes longos*, in quibus deinde tantum est trepidatum, iter versus Rhenum facere instituerit. Nam aliud hoc iter fuisse ac euntis, vocibus significatur »ruptos vetustate pontes" **), cui incommodo, quo erant Romani cautionis bellicae studio, si Caecina per eos agmen a Rheno ad Amisiam duxisset, jam tunc mederi debebat. Quam autem ob rem incommodius illud et periculosum perrexerit iter, nisi importuno Taciti brevitatem exponendi pruritu incitati humani quicquam patimur, explicari posse videtur pugnae Romanorum cum Arminio exitu improspero ***), qui Germanicum, ubi primum et quoquo modo posset, abscedere coëgerat. Idcirco partem quidem exercitus tuto a Germanorum insidiis per Amisiam Oceano invexit, Caecinae autem, cui a laevo latere Arminius circumfusus, superiusque iter occupatum erat, cala-

*) 1, 71. **) 4, 63.

***) Romano quidem stilo manibus aequis abscessum esse noster tradit 1, 63.

mitosa illa profectione per viam impeditam utendi dura injuncta videtur fuisse necessitas.

2, 5: Tertiam expeditionem facturus Germanicus volutat secum proeliorum vias (i. e. quomodo ad bellum, ad proelia eundum foret), atque, iter terrestre, multis obstructum difficultatibus, aversatus, mare statuit intrandum esse; ita promtius se media in Germania fore.

Si in mentem revocaris, anno superiore Germanici alteras quatuor legiones mari vectas esse, tibi haud facile persuadebis, eum hanc tertiae expeditionis navigationem tanquam novum aliquid excogitasse. Num haec est singularis ingenii ubertas, qui antea dimidiam exercitus partem navibus vexerit, eum nunc omnes copias classi imponere statuisse? At enim altiore versavisse magnanimum juvenem, nimirum non solum eodem, quo adhuc, sed longius, ad Visurgim et, si res ita ferret, ad Albim progredi voluisse, ex sequentibus liquet. Hujus igitur novi magnam partem itineris a Tacito pro ejus studio brevitatis ex parte tantum, nimirum navigatione, significatum est consilium; attamen vocibus *media in Germania* adjectis, si effectum cum consilio confers, integram deliberationem conjicere licet. Id de consilio Germanici in genere monuisse haud supervacaneum videtur, quo facilius infra locum expedire possimus obscurum. Inter singula meditationis momenta difficultas inest vocibus: »At si mare intretur, promptam ipsis *possessionem* et hostibus ignotam". Doctorum virorum observationes repetere integras supersedeo; J. Fr. Gronovius et Wolfius tuentur *possessionem*, et hic quidem ita, ut vocem a possido hic derivandam et de opportuno proelii loco

capiendo esse statuat dictam. At vero epitheton *ignotam* rei convenire haud videtur. Nam si ipsam actionem, qua proelii locus capiatur, hosti vis ignotam esse, quonam modo fieri potest, ut proelium committatur? Hostes scilicet ita longe aberunt, ut locus quidem tibi sit, non autem ipsi, quippe qui te adesse, proeliumque committere velle, ejusque locum cepisse plane ignorent: proeliature autem et aggressuro tibi hostes quoque propius absint, ut loco possis uti, necesse est. Itaque tale quid nonnisi de loco munito, quo non ad ipsum proelium velis uti, dici posse videtur. Correctione levi, si *possessionem* tueris, incommodo aliquantulum medearis, *incautum* legendo *). Sic Germanicus locum quidem proelii occupaturus erat, sed simul hostes, quibuscum confligeret, adfuturi, nimirum, locum proelii captum iri, bene gnari, qui autem non ita callidi essent, ut omnibus locis caverent. At ne sic quidem quae sequuntur, aut totum genus belli respondent tali Germanici consilio, quo, si necopinantes Germanos oppressurus erat, dimicandi locorum possessio ejus arbitrii fuisse videretur, nam Germanorum potius id erat, dimicationemque, ut libuisset, accipiebant evitabantve. Hac praesertim vice tantum abest, ut Germanicus iis incautis supervenisset, ut ad Visurgim paratissimos eos offenderet, id quod Tacitus in sequentibus luculentius narrat, quam ut consilium rei gerendae natura alienum Germanico tribuisse arguatur. Benigne igitur excipiamus Acidalii emendationem, qua *possessionem* in *profectionem* mutatur, quae profectio, licet non Frisiis Chaucisque, ut Romano-

*) cf. iter incautum 1, 50.

rum sociis, tamen Germanis mediterraneis, quibuscum bellandum erat, *ignota*, vel, si id quoque mutare placet, *incauta*, quam praecavere non possent, erat.

2, 7: Dum classis pararetur, Germanicus diducendi hostis causa iu Marsorum fines irrupit, per hosque ad *castellum Alisonem* hostium obsidione liberandum copias duxit.

De Taciti incuria, leviora quaevis integra tradendi, supra dictum est; hic, nisi fallor, propter animi indolem illam, lecturorum acumini nimium confisus, historicae artis leges neglexit. Castella enim omnia inter Luppiam Amisiamque post Vari exitum a Germanis diruta esse accepimus; nominatim de Alisone Vellejus ita memoriae mandavit *); atque cum Germanicus tertio abhinc anno limitem Tiberii scindebat, ultra omnia erant hostilia. Castellum igitur, quod Germanicus liberatum obsidione profectus est, aut in vestigiis diruti recens collocatum, aut alio quodam propius Rhenum loco, nomine illuc translato **), exstructum fuisse apparet. Haud abhorret vero, Germanicum ista superioris anni expeditione, qua saltum Teutoburgiensem intrasset ***), castellum instaurasse, Tacitumque id minoris, quam quod narraret, habuisse momenti.

---

*) 2, 120.

**) Vetus castellum Alisonem non apud Lippstadt vel Hamm situm, sed horae spatio abfuisse Paderbornia, ubi hodie *Elsen*, luculenter demonstratum est in libello, qui nuper prodiit: *Tappe* die wahre Gegend und Linie der dreitägigen Herrmannsschlacht. 1820. De situ castelli ad Rhenum cf. Mannert Geogr. Tom. III. p. 81. nov. edit.

***) 1, 60 sqq.

2, 8: »Fossam, cui Drusianae nomen, ingressus, precatusque Drusum patrem, ut se, eadem ausum, libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret, lacus inde et Oceanum — pervehitur".

De alveis ostiisque Rheni antiquis quae tam inconstanter veteres scriptores tradiderint *), nonnisi in ipsis Batavis commode concinnari, vel ne ibi quidem, post tot tantasque locorum mutationes, quod satisfaciat moroso antiquitatis investigatori extricari posse videtur **). Quod Tacitus quidem primo in libro c. 60. per lacus tradit Germanicum esse vectum, mentione fossae Drusianae haud facta ***), et quod hic singulari numero, alibi autem ****), sicut Suetonius *****), plurali utitur, in his haerendum non est. Sed quae de alveis Rheni et de navigatione per fossam Drusianam et lacus tradit, haec illa inter sese non constant. Nempe de opportuno ad classes accipiendas insulae Batavae situ ita disserit ******): »Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praevehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior et placidior et affluens" etc. Nil autem addit de fossa Drusiana lacubusque. Propterea, cum de commodis navigationis per insulam Batavorum

---

*) Caesar. B. G. 4, 10. Pomp. Mela 3, 2. Plin. H. N. 4, 15.

**) Cf. Cluver. Germania antiqua p. 459 sqq. Menso Alting notitia Germaniae infer. p. 67. 108 sqq. Berkhey's Naturgeschichte von Holland, deutsche Uebers. p. 97 sqq. Mannert's Geogr. B. 2, p. 190 sqq.

) Cf. 14, 54. *) 11, 18. *****) Claud. 1. ******) 2, 6.

dicere instituerit, de duobus vero tantum Rheni alveis, iisdemque naturalibus, videlicet *Mosa* et illo septemtrionali, qui haud multo post Germanici expeditiones Claudii Civilis opera cursum mutare coactus est, loquatur: exspectamus, Germanicum per alterum eorum vectum iri. At per fossam Drusianam et lacus vectum esse Tacitus narrat *). Jam vero cum nullo modo, naturalem illum Rheni alveum, qua Germaniam praevehitur, eundem fuisse ac fossam Drusianam et lacus, Taciti mens esse potuerit: quae inter se discrepare videntur, nisi ob librarii alicujus oscitantiam nonnulla hic vis a nobis desiderari, e Taciti nimia abruptaque brevitate concilianda sunt, quippe cui commodis navigationis per Batavam insulam fossa illa et lacus annumerandi fuerint, qui autem de duobus tantum Rheni alveis locutus, reliquis, et ipsa quidem Germanici via, suppressis, descriptionem mancam destituerit.

2, 8: »Classis Amisiae relicta, laevo amne; *erratumque in eo, quod non subvexit*; transposuit militem dextras in terras iturum; ita plures dies efficiendis pontibus absumti".

Locus prae ceteris scaber et impeditus! Jam primum aqua haeret in vocibus *laevo amne*. Usu constante quodam loquendi effici nequit, utra apud veteres scriptores dextra sit, utra laeva fluminis ripa; e re nata aut secundum aut adversum flumen oculis animove intuentur. Hic tamen quamvis mire nonnulli interpretes seque et rem torserint, veritas non occulta est. Romani petebant mediam Germaniam, terras ad Visurgim sitas; jam cum hae dextrae appel-

*) 2, 8.

lentur, uter est laevus amnis, utra laeva ripa, nisi his terris opposita? Eodem igitur modo ac nos, a fonte ad ostium flumen persequens, Tacitus ripas denotavit. Quam olim investigasse sibi visi sunt originem recentioris urbis *Emden* in illa Amisia antiquitatis magis studiosi, quam periti, jam pridem demonstraverunt Cluvesius *) et Menso Altingius **) eam esse nullam. Quae autem Lipsius, in geographicis frequenter perperam odoratus, et qui ejus similemve sunt amplexi sententiam, de trajectione militum a ripa, ubi nunc Emden (laevo amne) ad ripam laevam (militem dextras in terras iturum) et de pontibus deinde factis, sibi voluerint, illi ipsi haud clarius perspexisse videntur, quam qui nunc in eorum mente explicanda laboramus.

Jam vero illam trajectionem a laeva ripa ad dextram importunam et molestam fuisse Tacitus commemoravit. Si quidem classis relicta est laevo amne, ubi *Dollart*, quod nunc loco nomen est, militi autem dextras in terras ituro amnis junctus est pontibus; itaque properanti exercitui plures absumti dies. — Quis est, quin verbis illis, *Erratumque quod non subvexit*, rectissimum judicium justamque reprehensionem inesse exclamet, quin dementiam potius talem agendi modum esse vocandum? At, sodes, ne praepropere Germanicum ita incuses! Imo diligentissime e tota ad bellum gerundum proficiscendi ratione et e locorum situ perpendas, num, quod fecerit, a belli consilio expeditionisque ratione tam alienum fuerit? Igitur Germanicus novo hostibusque ignoto itinere ad Visurgim contendit;

---

*) l. l. p. 577. **) l. l. p. 6.

inter Amisiam et Visurgim ne hodie quidem viarum transversarum magna copia *); antiquarum illa, quae fortasse a media Amisia ducebat ad medium Visurgim, Germanico, rationem expeditionis praemeditanti, eo minus eligenda esse videri potuit, quod a media in Germaniam interiorem penetrans Amisia superiore anno tot difficultatibus implicatus fuerat, et hac aestate hostes paratiores molestioresque iisdem in regionibus se opperituros vix poterat dubitare. Contra vero ad Amisiae ostium Chauci, Romanorum socii, sedebant, et si per ipsum Oceanum Visurgis ostium invehi recusabat, quodnam iter Germanico, ad Visurgim proeliari cupienti, commodius offerebatur, aut potius, quodnam aliud ipsi fuit eligendi facultas, nisi per illorum fines? Et si forsitan rectius factu fuisset, longius subvehi, quonam modo fieri potuisse opinaris, ut non Frisii et Chauci, idonei monstratores viae peritissimique regionum, eum de commodiore appulsu monuerint? Ex ratione igitur profectionis ad bellum mihi quidem persuasum est, Germanicum ad proximas quasque Chaucorum terras militem, non temere, sed maturo consilio exposuisse, *erratumque* id minime appellari posse. Nam singula quaevis nonnisi quatenus ad summam rerum quadrent, nec per se aestimanda sunt. Idcirco licet plures efficiendis pontibus absumerentur dies, dummodo reliquum iter ad Visurgim eo expeditius tutiusque redderetur, illud temporis intertrimentum commodis, quae inde universae expeditioni provenirent, reconcinnatum est. At vero, si premis Taciti verba, in consultatione Germanici, quodnam iter

---

*) Möser's Osnabr. Gesch. 1, p. 157.

instituerat *), per ora *et alveos* fluminum vehendi consilium cepisse videtur: nonne igitur, cum ad *ostium* Amisiae substiterit, decedens a consilio errorem commisit? Contra accipe pauca. Nonne qui superiore anno subvectus regionum situm explorasset, et quidnam sibi faciendum foret, meditatione investigasset, ejus mentem subito errore alienatam fuisse concedas, insaniaeque notandam, si, non, ut alias fieri solet, ob rem opportunam inopinato cadentem, sed ad labores, quibus supersedere potuisset, suscipiendos, nempe pontes efficiendos, et ita agminis celeritatem cohibendam, consilium mutasset? Si id tibi Germanico alienum repudiandumque videtur, jam haec reputes. Non tam anxie haerendum est in vocibus illis *per ora et alveos;* Tacitus non is est, qui meditationem et consilium cum re subinde gesta, dicta cum factis, ubique et in minutis concinnare studuerit **). Consilium igitur profectionis quale fuerit, ab eoque Germanicusne aberraverit necne, potius ex locis, quo postea advenit et summa belli aestimandum est, quam ob supra usurpatam vocem quandam, non ad amussim exactam, auris forsan implendae gratia emissam, turbae excitandae. Jam vero morosis, qui tali naevo Tacitum purgatum velint, scrupulus de narrantioe ejus sibi non constante eximi potest, dummodo *alveos* non de ipsa Amisia,

---

*) 2, 3.

**) Cf. in oratione Germanici 2, 14 »enata humo virgulta" et postea c. 16 »pura humo inter arborum truncos".

sed de Rheno, fossa Drusiana, lacubus*) adeo de Visurgi, quem naves onerariae subvectae esse videntur, accipere velint; aut perpendant, etiamsi statuatur, Germanicum initio constitutum habuisse, per Amisiae subvehi alveum, tamen, postquam advenerit ad ostium Amisiae ibique Chaucos socios, regionum gnaros convenerit, fieri potuisse, ut ab iis in meliora edoctus mutaverit consilium causaque idonea ad ipsum fluminis caput exposuerit copias. Quibus autem ne ita quidem persuadeatur, errorem potius in textu nostro quam in agendi modo Germanici quaerendum esse, eos interrogo, quanam re patefactum esse putent Germanici errorem? Ipsene caecitatem mentis et oculorum, quam usque post aliquot menses, inde a superiori expeditione elapsos, recordatus esset, nec in loco ipso primo obtutu vidisset, ubi commode appelli non posse, pontesque efficiendos et contra profectionis consilium commorandum esse, postea famoso illo *non putaram* professus esse videtur? An est Taciti de re judicium? Sane utrum, talia protulisse arbitreris, hunc non magis arrogantiae et ignorantiae, quam illum stupiditatis et inconstantiae accusandum esse, ex sequentibus luculenter sciri potest! Etenim in summa expeditionis habita est prospera; de pravo illius trajectionis eventu, aut quomodo melius geri potuisset bellum, si molle subvectum esset, altum silentium; ubi autem, prout colligi licet e ducis consilio pridem constituto, prospere, saltem e scriptoris mente, omnia cesserunt: singularis actio, quae quomodo cum toto rerum

---

*) Mela 3, 2: Rhenus ripis longe ac late recedentibus, jam non amnis, sed lacus etc.

ordine cohaereat, licet ad speciem aliena, duci gnarum fuit, nonnisi ab insulso reprehendi potuit tirone, qui causas consequentiamque et fines investigare haud curaret *). Ita nos quoque, quibus sanum Germanici aeque ac Taciti judicium cordi esse debet, errorem in scriptura, non in Germanici actione Tacitive cogitatione quaeramus! Verbis illis suspectis locum reddi scabrum, cum ipsa inter *subvexit* et *transposuit* compages commoda desit, viri doctissimi observarunt **); neque tamen soli vocabulo *erratumque* duraeque nec ferendae commatis, in quo *transposuit*, cum prioribus structurae inesse contendimus vitium, sed plura hic aut desiderari aut a genuina indole in deformem, qua exstant, esse transfigurata. Macte tu virtute, cui loco subvenire contigerit! Mihi nonnisi, quam graviter sit corruptus indicasse datum, in integrum restitutio negata.

Quae supersunt difficultates facili negotio possunt amoveri. Nam cum Germanicum non ventosum aut fere obcoecatum fuisse, sed, peritissimum ducem, consulto et quod res ita postulabat, ad Chaucorum litus copias trajecisse appareat, id quoque non absonum est habendum, quod, cum classem habuerit, pontes effici jusserit. Ne tum quidem, si classe prorsus relicta ad laevam ripam, militibusque ibi expositis, totum flumen ponte junxisset, errorem commisisse eum dicerem; confisus, ipsum melius, quid sibi conduceret, e re nata perspexisse, quam philologum nostrae aetatis. Sed, quae est

*) Caes. B. G. 7, 52: Temeritatem militum reprehendit, quod sibi ipsi judicavissent — quid agendum videretur — quod plus se quam imperatorem de victoria atque exitu rerum sentire existimarent.

**) V. notam Ernesti Wolfiique ad h. l.

brevitas Taciteae narrationis audacissima, cujusmodi res fuerit, liberiori elicere interpretatione haud vetamur. Classis ad laevam quidem ripam relicta est, quod ibi commoda statio navium fuisse, ad dextram autem, quominus id fieret, aestuaria impedivisse videntur; non autem ita relicta, ut e vestigio non amplius esset ejus usus, neque omnino trajiciendis militibus adhiberetur: itaque non ratione transponendorum ponte militum, sed summae belli, quatenus dehinc non amplius mari sed terra exercitus profecturus erat. Nam pontes, ut loci natura ferebat, ad aestuaria tantum trajicienda effecti esse videntur *), naves autem, quae in posterum laevo relinquendae erant amne, quam fieri potuit proxime aestuaria dextrae ripae advectae, inde autem pontibus, qui naves jungerent cum ripa solida minusque male fida milites transpositi esse. Ita pluralis quoque numerus *pontes* non jam obstat **).

Post militum trajectionem lacuna in Taciti narratione animadvertenda; nempe de itinere per Chaucorum Angrivariorumque fines plane silet, statimque pergit, Germanico Visurgim appropinquanti defectionem Angrivariorum a tergo nuntiatam esse. Ita est noster. Eo, quod Germanico Angrivarii sunt a tergo, indicasse satis sibi visus est, eorum fines exercitum Romanorum permeasse; eo quod deficiunt, luculenter significasse, eos antea in fidem receptos esse. In his Tacitum leges historicae compositionis parum curasse, supra

*) Inspicias quae mox sequuntur: Et eques quidem ac legiones prima aestuaria, nondum accrescente unda, intrepidi transiere etc.

**) Ubi facilior erat descensus *scalae* ejici solebant, ut apud nos; vox Graeca ἀποβάθραι Herod. 9, 98. Thucyd. 4, 12.

monuimus. Hanc rapidam narrationis transitionem ab iis, quae ad Amisiam, ad ea, quae prope Visurgim gesta sunt, imitationem rapidae Romanorum profectionis videri si quis indagat, ego nil contra: id tamen scio, Germanis Arminii aetate vix magis mirum fuisse, Romanos ad Visurgim tam cito conspicere, quam nobis, Tacitum agmen eo tam festinanter rapuisse narrantem.

2, 10: *Campus Idistavisus:* »Is medius inter Visurgim et colles, *ut ripae fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt*, inaequaliter sinuatur".

Nomen campi vocibus Germanicis *It is a wis* compositum, et locum ad dextram Visurgis ripam inter *Minden* et *Vlotho* situm haberi, notissimum est, nec quod addam habeo *). Quaenam fuerit campi natura, mente facillime concipitur; attamen in ea ex singulis descriptionis vocibus construenda haeremus. *Ripae cedunt* duplici ab interpretibus sensu accipitur. Freinshemius hanc paraphrasin exhibet: Campus inaequaliter flexus et secundum fluminis cursum tortuosus, quod alibi ripas *excedens*, alibi montium objectu, inaequales sinus efficit". Igitur ripas flumini, campum aquae cessisse Freinshemius intelligit. Jam ripae fluminis cedere dicuntur, ubi alveus extenditur **); cave autem, ne cum Freinshemio ita, tanquam Visurgis excederit campum, nisi qua montium objectu repulsus sit, nostrum locum explicare coneris, spatii enim prorsus nihil pugnaturis reliqueris. Nam cum campus sit spatium inter amnem et montes,

*) Illa nominis interpretatio non recentioris est aetatis; in Micylli versione 1612, quam legens vix risum teneas *di Stadtwisen* invenis.

**) Cf. *recedentibus* apud Melam, in nota p. 24.

manifestum est, si ab altera parte flumine exesus cedit, ab altera autem montes flumini ita resistunt, ut eorum radices fluminis ripae contiguae sint, campum ex utraque parte aut aqua aut montibus absumi. Nec minus evanescet campus, ubi *prominentia montium* (colles) solum nominativum, *ripae* dativum esse statueris construxerisque »ut prominentia montium ripae fluminis cedunt aut resistunt"; imo magis, si fieri potest, nam ita ipsi colles, ubi flumini cedunt, dissolventur, et aqua vaste regnabit. Insuper de torto verborum ordine quod tibi ita interpretanti objiciatur non deest.

Aliter igitur voces *ripae cedunt* explicare loci natura nos cogit, nempe ita, ut ripae, potius ripa, pro ipso flumine dictae sint, veluti supra contrario modo *laeva amne* pro laeva ripa amnis, adeo ut, ubi flumen recedat, campus extendatur, progrediensque versus flumen latior existat. Sed ita quoque ab altera parte, quippe qua montes resistere dicantur, cogitationem claudicare et mancam esse non negabis. Campus inaequaliter sinuatur, prout flumen ipsi cedit, unde latior fit, vel montes eidem (si *flumini* intelligis, sensus plane evertitur) resistunt i. e. non cedunt *), unde angustior redditur. Nonne id quoque addendum est, campum latiorem angustiorumve fuisse, prout flumen non cesserit (restiterit) montesque cesserint? Num est fluminis, ubique campo cedere, montiumque, resistere ubique? Res in eo versatur, quod cogitatio disjunctiva causarum, quibus latior angustiorve reddatur campus, quae nonnisi in praedicatis *cedunt aut resistunt* continentur, subjecta quoque ita sit complexa,

---

*) Cf. 12, 16: At quibus alter erat intellectus resistunt defixi.

ut ea singulis praedicatis singula adjungantur, cum utrique utrumque praedicatum disjunctivo modo attribuendum fuerit. Ambo subjecta campum latiorem angustioremve efficiunt, prout cedunt aut resistunt. Jungamus igitur mente, quae Tacitus ordine verborum disjunxit. »Ut ripae fluminis et prominentia montium cedunt aut resistunt".

2, 16. 17. *Proelium in campo Idistaviso.* Romani, flumen transgressi, castra adversus Germanos posita habebant, quorum acies a ripa usque ad colles per transversum campum pertinebat. Ad proelium Romani sunt ita progressi, ut alterum agminis latus a flumine tegeretur. Jam vero adverso flumine profectos esse Romanos, ripamque igitur ad dextram habuisse, ex eo patet, quod ipsis paullo ante proelium Angrivarii a tergo fuisse dicuntur, indeque Germanorum bellantium terrae versus meridiem vergebant. *Pone tergum* insurgebat silva. Cogites, quaeso, quatuor campi latera; Romanos a septentrione, colles ab oriente, ripam ab occidente, Germanorum aciem a meridie, silvamque ab ejus parte aversa i. e. pone tergum. Germanorum mixta acies ita erat instructa, ut non solum compleret campum, sed a tergo subsidia in silva collocata haberet. A laevo cornu flumen erat, a dextro in collibus Cherusci, a ceteris discreti, insidiarum causa adstabant, et ita quidem, ut, ubi campestris Germanorum acies silvestri contigua erat, inde tanquam frons altera paullulum remota transversos colles insedissent *). Nam posteaquam

*) Visurgis | Roman. acies | Germ. in campo | Germ. in silva | colles | Cherusci

utraque Germanorum acies diversa fuga inter se occurreret, Cherusci, a collibus dejecti flumen versus, medii inter utramque versati esse traduntur *). Romani profecti sunt agmine ita instructo, ut, quo ordine iter fecissent, eo in aciem adstituri essent. Id quod non idem fuit ac supra agmen *itineri et proelio* paratum; sed Germanicus imperaverat, ut, simulac primus ordo constitisset, reliqui, ut alius alium subsecuti essent, ita unusquisque ad latus ejus ordinis, quem ante se habuissent, eandem in frontem consisterent, itaque acies per transversum campum formaretur ex agmine, quod per longitudinem campi profectum esset, id quod apud nos, in decursu saltem equestri, *in Zügen aufmarschiren* appellatur. Qui agmen duxerit ordo, e natura loci, qui dextro Romanorum lateri fluminis munimentum praeberet, et e sequentibus liquet, eum dextri cornu extremum fuisse. Hunc igitur locum ceperunt Gallorum Germanorumque auxiliares; his juncti sunt sagittarii pedites et quatuor legiones; in acie media Germanicus ipse cum duabus cohortibus praetoriis et delecto equite; ad ejus laevam reliquae quatuor legiones, sagittarii equites, inde extremae sociorum cohortes laevum cornu simili ordine ac dextrum efficiebant. De loco equitatus, praeterquam delecti equitis et sagittariorum, Tacitus haud verbis expressis scripsit; sed conjectura possumus assequi, eum aut ex omni exercitu collectum ad laevum agmen esse vectum, quo ab insidiis totum id esset, aut visis demum Cheruscorum catervis, quae per ferociam proruperant, antequam manus coeptae erant conseri, ex agmine ipso subductum

*) 2, 17: Medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur.

adversus illas missum esse. Quod quidem ubi factum erat, Germanicus promto consilio, ipsisque haud dubie Germanis viae monstratoribus usus, totum equitatum colles circumgredi et in latus Cheruscorum apertum mixtaeque aciei Germanorum in silvis collocatorum terga irrumpere jussit, insidias in Germanos rejecturus. Quinta demum hora praeterlapsa pede collato pugnari coeptum est. Simul ut imperatum erat, equites circumgressi colles, simul pedites Romani irrupere in nostros, qui, a fronte, a dextro latere et a tergo turbati, haud prospere rem gerebant, cum Arminius, ubi interclusum se videt, Rhaetorum Vindelicorum Gallorumque cohortes sagittariosque extremi hostium sinistri cornu perrumpere frustra nisus, tandem vi et astu, facie, ne agnoscatur, oblita cruore, iter sibi per medios hostes aperiens vitam et libertatem suam servat. Secundum traditionem quandam, a Tacito commemoratam, Chauci eum agnoverant quidem, sed pervadere passi sunt. Nobis autem, quamvis sit jucundum perceptu, patriae proditores, religione quadam affectos, popularium, quibus minus servile quam ipsis ingenium, propugnatorem adjuvisse, tamen, cum Chauci a dextro Romanorum cornu pugnaverint, neque Arminio cum ipsis res fuisse videatur, verisimilius est, patriae servatorem sine illorum ope adeptum esse salutem. Ceteroquin Tacitus vix cuiquam persuaserit, dextro Germanorum lateri equitem Romanum ita circumfusum nostrosque ita irretitos fuisse, ut fuga in terras interiores praeclusa omnino fuerit. Quae enim Tacitus narrat, *plerosque* tranare Visurgim conatos esse, de *nonnullis* quidem, aut, qua est vi vox *plerique* apud Tacitum *), de

*) 3, 48. 4, 9. 12, 35. 13, 25. H. 1, 86.

multis accipi potest, quibus effugium ad dextram haud patuerit, aut qui, Romanorum instar in pugna ad lacum Thrasimenum, quid facerent nescientes, in aqua salutem quaesierint: sed quominus majori parti nostri exercitus id accidisse cladem que internecinam fuisse arbitremur, impedit quae mox sequitur narratio de pugna atrociori, in qua Germanorum vires minime fractae, imo quae Romanis duriores, quam in priore pugna, dederint partes, conspiciuntur. Nec magis, opinor, solo Romanorum aspectu tropaeorum ad alteram dimicationem pro aris et focis ineundam eos accensos esse *), mutato, trans Albim abscedendi, consilio, Tacitus fidem nobis faciet, quantum terrarum inter Visurgim et Albim situm sit, accuratius quam ille edoctis. Haud absimilia poetico ornatui illa quoque esse, quae Tacitus de mortibus Germanorum, quos Romani ludibrii causa arboribus affixerint, arboribusve afflixerint prorutis, suspiceris: tamen neque his aut narrationi de somnio Caecinae **), Germanici ***), de nocturna castrorum lustratione ****), de octo aquilarum augurio etc. *****) veritas plane abjudicanda.

2,19: »Germani Romanorum agmen repente incursant". Romani, licet pugnae prioris campum obtinuissent victoriae praemium, nostros versus orientem meridiemque in terras interiores haud videntur esse persecuti, imo vestigia ipsa sua prementes secundo flumine sese recepisse. Ita factum esse, posterioris pugnae locus demonstrat; prope paludem quandam, e Mannerti conjectura ******) mare Steinhudianum, quod nunc vocant. Cur autem Romani eo perrexerint, e non-

*) 2, 19. **) 1, 63. ***) 2, 14. ****) 2, 13. *****) 2, 17.
******) cf. Mannert III. p. 89.

nullis vestigiis, quae inter brevem Taciti narrationem interlucent, perspicitur. Nempe Angrivariorum defectione, quam Stertinius cum expedita manu jam ante priorem pugnam missus erat ultum, nondum composita, Germanicum, ut a tergo esset tuto, bellum iis inferre oportebat. Sed eodem tendebat Arminius, ut alias, viarum compendiis, dum Germanicus, si rerum causas recte investigamus, ob commeatum a navibus onerariis, Visurgim subvectis, ministratum, a fluminis ripa non abscederet; nec absona videtur opinio, Arminii fuisse consilium, una cum Angrivariis a septentrione invadendi, et si res ita ferret, a reditione ad Amisiam et Rhenum intercludendi Romanos. Si qui sunt, qui vereantur, ne nimiam Arminii nostri virtutem imperatoriam fingamus, ii reputarint velim, eum anno superiore Romanos proelio vicisse, Caecinamque absque popularium ferocia deleturum fuisse, denique contra haud minus centum millia Romanorum et sociorum in pugna priore tam bene rem administrasse, ut pugnam alteram paullo post committere non dubitaverit.

2, 20. Hujus quoque pugnae Arminius locum delegit, insidiasque prospere cessuras struxit. Inter paludem et Visurgim agger quondam ab Angrivariis exstructus fuerat, quo a Cheruscis dirimerentur; ibi et in silva contigua, quae paludi praetendebatur, pedites Germanorum stabant, ut, qui essent in aggere, dextrum efficerent cornu, reliqui aciem sinuosam vel ad formam anguli instructam a laevo aggere in silvam continuarent. Equitatum vero in lucis propinquis, ultra planitiem, silva et aggere clausam, sitis, occuluere. Germanicus ipse aggerem aggressus est, unde nostris dejectis et in silvam proturbatis, quam aequo aditu ducis Romani iam ingressi

erant legati, acies pugnantium ita directae sunt, ut Romani Visurgim, paludem Germani a tergo haberent, utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus in victoria esset *). Jam advesperascebat, nec dum Germani victi erant, cum Germanicus castra poni jussit, et mox nocte ingruente proelium diremtum. Pro victoria Romanis fuit, quod postero die a Germanis haud lacessebantur, in eoque salus. Nam insidias equitum Germanorum minime, ut Tacitus supra gloriatur, in ipsos recidisse, sed Romanis satis fuisse perniciosas, e verbis *ambigue certavere* (sc. Romani equites) luculenter apparet. Nostrorum autem ferociam imminutam fuisse duobus atrocissimis proeliis ex eo elucet, quod ne postea quidem Romani exercitus partem, quae terrestri reduceretur itinere, turbare conati sunt.

Germanicum proelio commisso de subigendis Angrivariis cogitasse Tacitus commemorat **), sed, postquam deditionem properassent, cum aestas adulta esset, cum exercitu regressum esse. Quam contra Angrivarios expeditionem facile intelligimus non tam belli continuationem ad proferendam victoriam longiusque domandos inter Visurgim et Albim populos, quam reditionis initium fuisse. Quippe per quorum fines ad Amisiam exercitus fuit reducendus, ii domandi. Germanico, minus quam pro juvenili spe prospero exitu redeunti, mare insuper fuit infestum, nec jam, nisi Tiberii avocantis auctoritatem plane aspernari vellet, licuit uti potestate, belli fortunam nova expeditione in medias illas terras tentandi. Mox insidiis Pisonis objectus haud suo fato defunctus est dolo principis, cujus fidem,

*) Tac. 2, 20. **) 2, 22

a legionibus ad imperium efflagitatus, tantum abfuit ut violaret, ut mortem ipse sibi mallet dare. Ita constituit et servavit Arminius gentium suarum libertatem, quae ejus immortalia in patriam merita ne tunc quidem, cum regnum affectans a popularibus esset caesus, grata memoria celebrare recusabant. Nam Taciti aetate, pravis obliteratis inceptis, cantu eum extollebant bello non victum, Germaniae liberatorem *).

*) Tac. 2, 88.

Nunc autem cujus causa animadversiones istae sunt scriptae, ad id nos convertamus.

Reditu fausto natalium *Augustissimi Regis ac Domini*

FRIDERICI VI.

pro ejus vita, et, quae illa continetur, patriae salute vota pie laeteque concepta nuncupare animus cujusque boni civis gestit gaudio commotus. Jam literarum nostra sedes oratione solemni hora XI diei festi in auditorio majori habenda sacrum anniversarium celebrabit. Quam ad audiendam, dignitatemque hujus officii augendam *Excellentissimum Academiae Curatorem*, urbis

nostrae patres amplissimos, musarum cultores et fautores, academiae nostrae cives, reliquosque incolas spectabiles, qua par est observantia, Rectoris et Senatus nomine invitamus.

Dab. d. XXIV Januar. MDCCCXXI.

